

DISSERTATIO ACADEMICA  
DE  
VÄINÄMÖINE  
PRISCORUM FENNORUM NUMINE,  
CUIUS PARTEM PRIOREM,  
VENIA AMPLISS. FACULTATIS PHIL. ABOËNSIS,  
PRAESIDE  
REINHOLDO VON BECKER,  
*Philos. Mag. Historiarum Adjuncto Ord.*


PUBLICÆ CENSURE MODESTE SUBJICIT  
ELIAS LÖNNROT,  
*Nylandus.*

In Audit. Philos. die XIV Febr. MDCCCXXVII.

h. a. m. s.

---

ABOÆ,  
Typis Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL & FILII.





§. I.

**R**esiduum ex paganismo fabularum de *Väinämöine*, celeberratissimo veterum nostratum heroë numineque, maximum quidem partem jam exposuerunt præcipui nostri Mythologi Christianus Lencquist & Christfridus Ganander, ille in *dissert. de Superstitione Veterum Fennorum, Præs. cel. Henr. Gabr. Porthan, edita Aboæ a. 1782; hic in Mythologia fennica a. 1789 ibid. excusa o).* At præterquam quod utrumque tela major, quam erant exorsi ad plura festinatim percurrentia coegerit, exstant præterea quædam mythicæ traditiones de *Väinämöine* nostro, quæ nuperius demum publicatæ laudatos duum viros adhucdum latuisse videntur, quales in primis sunt plerique runarum veterum, quas collegit typisque excudi curavit

A

Ex.

- 
- a) Cfr. Cel. H. G. Porthan, *Annott. in M. P. Juusten Chronicum Episcoporum Finlandensium* p. 93, ubi & ceteri, qui de Religione Fennorum pagana ad id tempus scripsérunt, recensentur. Ex recentioribus Mytholog. fennicam attigerunt Rühs *Finnland und seine Bewohner* Lpz. 1809; *Svensk Literatur-Tidning* a. 1817 p. 372 sqq.; v. Schröter *Finnische Runen* Ups. 1819; *Zurun Wiktor Sanomat* a. 1820 N. 10, 11, 20; *Öfversigt Ingenting Aboæ* 1821 p. 65 sqq.; *Beiträge zur genauern Kenntniß der Estnischen Sprache*, (edidit J. H. Rosenplänter), 14:tes Heft, Pernau 1822, cui libro Literatus Rigensis Chr. J. Peterson inscrit elaboratam a se teutonicam versionem s. c. Mythol. fennicæ; *Mons Geschichte des Heidenthumis im nördlichen Europa* Lpz. und Darmst. 1822 Th. I. pp. 43—66; G. Rein, *Specim. Historic. de vetero Carelia*, P. IV & V. p. 49—58. editæ his Aboæ a. 1826.

— 2 —

Experientissimus Med. Doctor Zach. Topelius b). Cum vero nec omnes ejusmodi recentius investigatæ runæ adhuc sint in unum collectæ, nec plurimæ earum, interpretatione quippe carentes, nisi a fennici sermonis perito intelligi possint, operæ pretium existimavi, quæ de *Väinämöine* haftenus dispersa leguntur, hinc inde conquisita, lectoris bona cum venia, tirocinii academicî loco in sequentibus plagulis breviter enarrare. Nihil quidem novi promittere valeo illis, qui fennicæ linguae scientia imbuti facile runas nostras ipsi adire possunt, quarum poëticis coloribus vivida dictio etiam multo majore cum deletione, quam simplex mea narratio legetur; at cum & nostratum sint multi, qui fennice nesciant, juvabit operam dare, ut his quoque dici possit:

*nec longus patrios labor est tibi nosse penates.*

§. 2.

Ubi locorum natus sit Väinämöinen ex traditionibus veterum definiri haud quidem potest, sed quoniam non modo ipsius verum etiam patris sui sedes sub arce fuisse dicatur c), probabi-

le

---

b) In collectione: *Suomen Kansan Vanhoja Runoja ynnä myös nykyisempia lauluja*, partit. tres, Aboæ editæ annis 1822, 1823, 1826.

c) Patet hoc partim ex eo, quod tribus diebus iter ad Pohjolam, id est ultimam septentrionalem plagam, consecratae narratur Väinämöinen (videtur runa sub not. d allata), partim quoque ex versiculis:

Kave ukko Pohjan herra,      Kave senex plagiæ borealis dominus,  
Isä wanhan Väinämöisen...      Pater senis Väinämöinen...  
Wälähytti Väinämöinen      Coruscavit Väinämöinen  
pimiässä Pohjolasä...      in tenebroso Septemtrione...

Immo expresse dicit Ganander (l. c. p. 29) patrem Väinämöinen in parœcia Paldamo habitasse una cum filiis suis, quorum plerique dein alibi sedem fixerunt.

le tamen habemus, locum ejus natalem aut in Fenniae aut in adjacentium terrarum boreali plaga esse quærendum. Neque de tempore, quo ortus sit, aut de adolescentia ejus plura rescivimus, quam quæ continet fragmen quoddam runicum d) perhi-

A 2

beng

d) Initium hujus fragminis, quod ex ore senis rustici in Parocchia Paldamo exscripsit Praesidique meo communicavit Rev. Praep. Doct. Aeimeleus, tale est:

Minne meistä pâivâ pâdty?  
Lunnaas meistä kuu katosi?  
Pâivâ pâdty kalliohon,  
(kuu kivehen katosi).  
Yöllä synty Väinämöinen,  
yöllä synty, yöllä kaswo,  
tako herraan tapehita.

Kyy lenti kynnykselle  
takohissa Väinämöisen.  
Itse wanha Väinämöinen  
sanan wirkko, nuin nimesi:  
mitä kyy olet kynnyksellä?  
Kypä täiten wastaapti:  
tuota sienen kynnyksellä,  
sanomata saattamassa,  
jopa kuu kiwestä nousi,  
pâivâ pâasti kalliosta,  
takohissa Väinämöisen.  
Waka wanha Väinämöinen  
sanan wirkko, nuin nimesi:  
josma nyt lähen Pohjolahhan,  
Pohjan poikasten sekahan,  
Lapin lasten tanterelle,  
kosska kuu tehästää pâastin,  
pâivâ pâastin kalliosta.  
Astu pâivâ, astu toisen,

pâivâ ja kolmantena  
portit Pohjolan näkhyvät,  
Pahan ulset ulwottaaat...

Quorsum a nobis sol cecidit?  
quo a nobis luna disparuit?  
sol cecidit in montem,  
(luna in lapidem disparuit).  
Nocte natus est Väinämöinen,  
nocte natus est, nocte adolevit,  
cudendo fabricavit quæ domino ne-  
cessaria erant.

Draco advolavit ad limen  
cudente Väinämöine.  
Ipse senex Väinämöinen  
verbum emisit, hoc modo locutus est:  
quid draco moraris in limine?  
Draco scite reddidit:  
idcirco morer super limine,  
nuntium ut afferam,  
jam enim luna e lapide surrexit,  
sol evasit e monte,  
cudente Väinämöine.

Probus senex Väinämöinen  
verbum emisit, hoc loco locutus est:  
quid? si iter ingrediar ad Pohjolam,  
in Pohjolæ filiorum medium,  
ad Lapponiæ puerorum campum,  
quoniam lunam e claustris liberavi,  
solem liberavi e monte.

Progrediebatur diem, progrediebat  
alterum,

die jam tertio  
portæ Pohjolæ apparent,  
Maligni fores ululant... .

bens eum nocte & natum esse & adolevisse cudentoque fabri-  
casse, quæ domino (forsitan patri suo, qui dominus plagæ ar-  
toæ vocatur, v. not. c.), opus essent.

De patre ejus duplex affertur fabula, quarum altera tradit  
gigantem *Kalevam* duodecim procreasse filios, giganteis viribus  
illos quoque præditos, quos Episcop. Agricola inter Deos Ta-  
vastorum fœnisecio præfectos recenset, et ex quibus Väinämöinen,  
Ilmarinen, Hiisi, Soini, Kihavanskoinen (secundum  
alios Liekiöinen) tantum nominantur e). Cui quidem fabulæ,  
quæ præterea narrat *Kalevæ* progeniem lapides in pluribus locis  
accumulasse, etiam alii quidam concinunt mythi, secundum  
quos itidem Väinämöinen & Ilmarinen fratres fuere, atque ille  
certans cum juvene Joukkavaine (qui et Joukkamoinen, Jou-  
kas vocatur) a se congestos esse lapidum acervos f) asserit g).  
Inde vero, quod constellatio Orionis vel hodie a Fennis appellatur  
*Väinämöisen wiitake* sive *wifikahdin* i. e. falx (fœnaria)  
Väinämöinis, verisimile fit, hunc Deum pratis demetendis in-  
claruisse, id quod de filiis *Kalevæ* Agricola generatim af-  
firmat.

Secundum alteram fabulam pater Väinämöinis fuit senex  
*Kaveh* h), dominus plagæ borealis, antiquissimus gigas (*Turilas*);  
qui

- 
- e) Vid: r Descriptio Parœciæ Paldamoënsis, auctore Joh. A. Cajano,  
inserta Ephemeridibus: *Lönningar utgifsne af ett Sällskap i Åbo*  
1777 N. 18. p. 140 sqq.; Lencquist l. c. p. 26 sq. atque My-  
thologia fennica p. 29 sq.
  - f) Sunt nonnulli, qui hoc loco ejusmodi lapidum acervos indicari  
putent, qui per varia Sueciæ & Fiolandiaæ loca etiam nunc con-  
spicui, suthice *Hätteläst*, fennice *Hiljen luolat*, *Hiljen kultaat*  
appellantur. Vid: r Joh. Oedmanni *Cherographia Bohusiensis* Cap.  
12; Ganander l. c. p. 13 & alii.
  - g) V. Ganand. p. 29 sq.
  - h) Admodum infelix atque genio lingue contraria est conjectura Pe-  
tersonii (vid. l. s. c. p. 30), qui nomen *Kave* ex esthonisa voca-

5

qui e matris (Kunottaris *i*) utero, ubi triginta æstates jacuerat, equo insidens pleneque armatus in Iucem erupit.

Prior illa Fabula, quamvis in nullis quas novimus runis memorata, & scriptorum commentis fortasse amplificata, tamen qua præcipuam' sui partem, cum hac posteriori concordat; neque

Kawwa vel (rectius) Kaww, fennies Kawan, adeoque e radice Kawla (longinquitas) derivari, atque temporis Deum seu ipsum tempus ( $\chi\acute{e}rōv$ ) significare autumavit. Efenim, ut jam Ganander l. c. p. 34 sq., rejectis ceterorum ineptis derivationibus, observavit, vox Kawe l. Kaweh, Kawet, in Gen. kapehen, kapeen, proprie est nomen appellativum communis generis, significans in runis veteribus vulgo hominem, alias etiam animal quodvis quadrupes. Nonnumquam Väinämöinen *kat*'  $\acute{e}\zeta\acute{o}x\acute{h}\acute{y}$  vocatur alioenon Kaweh i. e. unicus homo (Gan. p. 101). Eum quoque autumamus nomine Kaweh indicari versiculo: Kaweh kuum tehástä späästi (kaveh lunam e claustris liberavit); nam alibi (v. not. d) ipse Väinämöinen assurit se solem & lunam e claustris, quibus inclusa erant, in liberum reduxisse. Legitur quidem in Mythol. fennica p. 34. Jesum hoc perfecisse, & p. 29 dicit Ganander: significare Kavet sæpe potentem in luna principem, qui eandem contra Kuumet defendebat, sed illud assertum Christianismi cum paganismo permixtio- nem, hoc Ganander hallucinationem prodere putamus. A Kaweh derivatum est Kawo, quod Lencquist & Ganander Kawoh male scribunt atque ejusdem plane significationis ac Kaweh habent, cum tamen in runis mulierem tantum denotet.

- i)* Kunotar, quo nomine Väinämöinis avia insignitur, peregrinae originis est & idem atque in vetustis Suecorum legibus sæpe obveniens Kun, Kong, Lapponibus qwin, Konna, Kunno i. e. uxor, feminia, Danis etiamnunc Kone, Kona appellata. A Kun & Kunno terminations feminina pro more poëtarum savonicorum adjecta, facile habetur Kunotar s. Kunnotar; atque ut in runis nostris Mariatar, Katrinatar, Louhiatar, Hempiätär nil magis quam Maria, Katri- na, Louhi, Hempiä, sic quoque Kunotar sive Kunnotar nihil aliud quam mulierem vel feminam significat: nihilque aliud quam mu- lieres intelligendum est voce Kunotaret obveniente in quadam ru- ma, quæ Ranan synty inscribitur.

que inde repugnantiae quidquam oritur, quod uno loco Kaleva, altero Kaveh vocetur pater Väinämöinis: Est enim Kaveh, quod hinc nominis proprii vicem sustineat, revera nomen appellativum in runis plerumque hominem significans, quare nihil impedit, quominus Kaleva etiam Kaveh nominari potuit. Consentiant vero utraque fabula in eo, quod patrem Väinämöinis perhibent fuisse potentem in plaga boreali heroëm ex gente gigantum, quæ secundum vulgi fennici pariter ac scandinavici opiniones ante hodiernum genus hominum in terris borealibus habitavit, & Fennis olim Turilaat <sup>k)</sup> nuncupata est.

Quod

<sup>k)</sup> Turilaat secundum vulgi nostri fabulas erant homines corpore & vitibus prodigiosis prædicti, quare etiamnunc Fenni de homine vasta corporis mole conspicuo paſſu ſuim Turilaſ (vastus ut Turilaſ) dicere solent. Saxis moliendis virium specimen ediderunt, id quod etiam de filiis Kalevæ narratur (Gan. p. 29 & 93). Ad litora maris arctoi in primis habitasse videntur, quoniam ille Turilaſ, qui pater fuit Väinämöinis, vocatur dominus borealis regionis & ex iisdem locis (Pohjola, Pimentola, Turja) etiam venit ille gigas, qui artium magicarum scientia pollens ad vulnera sananda a mystis nostris invocari solebat (Gan. p. 70 sq.). Quod Turilaſ apud Ganandrum vocatur muſta mieſ & adhuc homo immanis & perniciousus apud Savones dicitur Turilaſ & paha Turilaſ, id feritatem & horridum adſpectum illorum indicare videtur. Bellicosos porro fuisse inde concluderes, quod pater Väinämöinis in lucem proveniens plene armatus fuit eques. Quin ipsum nomen, quo insignebantur, bellicosum seu bellatorem denotare verisimile est; nam e lapponica radice Toro (bellum), toroleſ & torolatſ (bellicosus, pugnax, quibus cognatæ fennicæ voces tora, litigium, torna, torata, litigare, pugnare) non incommodè deducitur. Posset tamen, si conjecturis ulterius immorari liceat, Turilarum nomen deductum esse a Turja l. Turjan maa, qua voce noſtrates indicant remotissimam quandam terram (Mythol. f. p. 93) quam Ganander nunc pro Norvegia, nunc pro Aethiopia habet, sed nos suspicamur eandem esse atque antiqua regio Turan ad montes Urales sita. Conſr E. G. Geyer, Swea Rikes Häſder, p. I. Ups. 1825 p. 401.

Observatu denique dignum putamus, idem fere, quod mythi nostri de Turilis perhibent, etiam de Trollis sive Trullis in hi-

Quod si Fennorum Turilæ, ut non sine omni verisimilitudini specie suspicamur, idem fuerint atque gigantibus annumerati Trolli vel Trulli toties in Islandorum scriptis *Sagor & Ed. dor* dictis obvenientes, nonnihil lucis inde ad genus Väinämöinen retegendum quoque lucrari posse videmur. Constat enim priscis temporibus nomine Trollorum, quos cel. Prof. Neikter l. c. Fennicæ vel Lapponicæ stirpis fuisse credit, tales in silvis habitantes, Septentrionalis terræ aborigines fuisse appellatos, qui ob mores truces & magicas artes diffamati, coloniam ab Othino huc deductam, pro more suo bella gerendi, rapinis & repentinis excursionibus diu infestarunt, donec tandem vel devicti vel in boreales Russicæ partes expulsi fuerint.

§. 3.

Quod ipsum nomen Väinämöinen attinet, varie quidem legitur, ex. gr. apud Agricolam Äinemöinen, apud alios passim Väinemöinen, Veinemöinen, Vainemoinen, sed quoniam Fennis ipsis, quantum quidem nobis experiri licuit, constanter Väinämöinen audit, sic quoque scribendum cum Lencquistio, Porthano & Ganandro judicamus. Habetur etiam forma simplicior *Väini* (vel *Väinä*) quamvis raro nec nisi in genitivo casu occurrens, unde tam illud Väinämöinen, terminatione formativa möinen adjecta, quam in runis obveniens nomen patronym. Väinätär, i. e. filia Väinämöinis, deducta esse appetet. Unde vero nomen *Väini* (vel *Väinä*) originem habeat, plane ignoramus 1).

Adi.

storia Scandinaviae antiqua rarri, adeo ut non parum sit credibile *Troll* Scandianorum & Turilaat' Fennorum idem esse, utrosque vero ad genium lingua: sua nomen hocce paullulum mutasse, similiter ferme analogia ac *Torkil* in *Trul's* & vox lapponica *puerat'* (bonus) in suecanam *braf*, transformata sunt. Cfr. Dissert. de genite antiqua *Troll*, Sectiones VI, Præsid. Jac. Fr. Neikter, annis 1793, 1796, 1799 Ups. editæ, in quibus Trolli copiose & diligenter descripti leguntur.

1) Brevior nominis forma occurrit apud Ganandrum p. 41 & 105, ubi forte *Väinän* pro *Väinen* legendum, ut magis conveniat cum no-

Adduntur præterea Väinämöini plura epitheta, quibus eum ornare poëtæ nostri studuerunt. Sic appositum proprio ejus nomini persæpe invenias *wanha* (grandævus, senex), *waka* (justus, probus, integer); vocatur & passim *ukko* (avus, senex), *iså* (pater), *pyhä uros* (sanctus heros), *suuri mies* (vir magnus), *laulaja* (cantator), *pätkönen poika* (filius egregius), *hyvä sukuinen* (generosus), *uuentolanien* (gloriosus, superbus?). Perhibet eum Lencquist in quadam runa appellari:

*Kaiken maailman tafjoa, totius mundi fabricatorem  
ilmankannen kalkuttaja. aëris operculi (coeli) excusorem;*  
sed suspicatur hosce versus a recentioribus esse interpolatos, de qua re in sequ. §. plura dicemus. Asserit porro Ganander (v. l. c. p. 101) eundem ante reformationis tempora nominatum Deum antiquissimum, conspicue & aperte cognitum Deum, quod assertum etsi tertimonio valde ambiguo niti videatur, neque nos in ullis, quas consulere licuit, runis Väinämöinem expresse appellatum *Jumala* seu Deum invenerimus, probabile tamen omnino est hunc titulum ei tanto minus denegatum fuisse, quanto certius constat eum inter potentissimos nostrorum Deos fuisse numeratum *m.*

Qua

---

minibus Väinämöinen, Väinämöär (Top. II. p. 12). Præter argumenta, quæ attulit Lenequist l. c. p. 35, etiam hæc simplicior forma testimonio est, male & perverse a Juslenio in Fennici Lexici tentamine nomen Väinämöinen per vocem Nereidis (*Hafsfrau*) explicari, quasi esset idem ac *wein* (ween, weden) emoinen *weden emäntä* (aque domina). Rev. Doft. N. Idman (v. *Ufhandling om Finnska och Grekiska Språkens Gemenstäpp*) a Græco vocabulo *Φεινόμενος* nomen Väinämöinen derivandum putavit, quæ certe opinio una cum ossibus ejus molliter quiescat. Multo quidem potiore jure ad radicem quandam obsoletam vernaculae referendum sit cognatumque habendum lapponico *wájo* (vires), atque fennicis *wálli* (robur) gen., *wáen* contr. *wáin*, *wáindstää* (vires intendo).

(n) V. Ganand, p. 101,

Qua externum suum habitum, ex allatis jam patet eum fuisse senem majoris staturæ. Ceterum subucula bona induitus & insuper toga ex panno laneo pinguiore confecta vestitus balteo cingebatur, ex quo gladius pependit *n*) affabre factus, cuius descriptionem sequentes versus runæ §:o 2:o (not. d.) qua partem subjunctæ continent:

Zo ols pitkusta pittempi  
miekkä wanhan Väinämöisen,  
yhtä ohrasen jyvä;  
siltä kuu käärestä paisto,  
päivä väististä wälötti,  
heponen käärellä seisoi,  
penu putkessa makasi,  
käsi nauku nauhan päässä.

Erat autem paullo longior  
gladius senis Väinämöinis,  
(quantum) unum hordei granum;  
e mucrone ejus luna luxit,  
sol e capulo fulsit,  
equus in cuspide stetit,  
catulus in vagina jacuit,  
felis (quasi) vocem edidit in glo-  
bulo scapuli.

Narratur præterea noster galeam (seu pileum) capite gessisse & nonnumquam saltem hasta armatus, an vero hæc ejus arma eodem artificio ac gladius ipsius fuerint fabricata, nullibi commemoratum invenimus *o*).

In digladiandi arte omnium princeps habebatur, addit enim nuper citata runa eum cum filiis Pohjolæ (Laponibus) digladiantem capita eorum, veluti radices raparum demessuisse *p*); nec minus certo istu hastam vibrans cor ipsum perfosset certare cum eo gestientis Joukkavainis, qui tum pœnas temeritatis dedisset, nisi a ceteris Diis fuisset sanatus *q*).

## B

## Plu-

*n* In medio relinquimus, quæ fuerit vagina, gladiine an cultri, de qua in runa Rauwan Synty (origo Ferri) inscripta (Top II. 19 dicitur:

Tuolla silloin rauta sâily  
wyöllä wanhan Väinämöisen,  
kolmijalkossa tupsessa.

Illiæ tunc ferrum versabatur  
ad balteum senis Väinämöinis  
in trimembri vagina.

*o*) Ganand. p. 23; Top. II. 15.

*p*) Eisti kuin nauriin napoja  
päästä Pohjan poikasien

Desequit veluti rapæ radices  
capita Pohjolæ filiorum.

*q*) Ganand. p. 23.

Plurimas præterea, ut decet Superos, artes callens scite. que tractans jam fulmen regere narratur, jam ferrum cedere, navigium modo, modo nablum fabricare. De arte ejus musicen tractandi, in qua nec Apollini neque Orpheo cessit, infra loquemur. Siderum denique signa & motus eum observasse & maiores nostros docuisse, non est plane incredibile r).

Itinera fecit hieme in traha sedens & equo vetus, æstatis vero tempore terrestria pedes, maritima in navilio, quod remis impulsu vel a Lieto Lemmingäinen s) vel ab aliis, ipse in puppi sedens gubernavit. Quin & aliquando natando trajectum comperimus. Aërem quoque permeasse apparet montesque, cum opus esset penetrasse intima eorum domicilia visitaturus.

#### §. 4.

Ex diversis nostratium fabulis, quæ fabricationem mundi attingunt, colligitur hujus negotii partes primarias Väinämöini olim

r) Tenuem quidem sed tamen aliquim huic conjecturæ ansam præbentum denominatio Wäinämöisen wistale s. wistahdja, qua insignitur constellatio Orionis, e cuius motu potissimum rusticæ nostri etiam nunc horas nocturnas notare sciunt, tum verba Väinämöini adscripta: "Minut on . . . ilmapielet pystämäni, taiwoni tähyyttämäsi" (Top. I. 22.) i. e. ego primum plagas seu cardines mundi determinavi, cœla mea stellis conspersi.

Cuicunque vero debuerint veteres nostrates harum rerum notitiam, certum est eos antiquis jam temporibus indigena nomina nonnullis constellationibus imposuisse. Videntur præterea majores nostri diversas octo mundi plagas numerasse, quarum nomina sunt: pohjanen (septemtrio, norr), koillinen (medium inter septemtr. & orient. nordost), itä (oriens, öster, ex lapponico id est, mane), kato (med. inter orientem & meridiem, sydost), etelä (meridies, söder), lounas (m. int. merid. & occid. sydwäst), länsi (occidens, väster), luode (m. int. Occid. & sept., nordväst) cfr. Mnemosyne a. 1821. p. 101—110.

s) Quem jurgiis deditum & præterea piscatorem, venatorem, bellatorem & in silvis laborantem comperimus (vid. Top. I. 17. & III. 3)

olim tributas fuisse. Habetur autem de mundi origine in ru-  
na quadam hæc narratio *t*).

Inimicitias diu Lappo quidam in Väinämöinem gerens, occasione data, sagittam in eum misit. Quo facto Väinämöinen in mare procidens primum sex annos natavit, post uno se loco tenuit. Advolavit tunc querquedula avis trabemque credens, nido in eum constructo, ova tria peperit. Quibus incubans tantum excitavit calorem, ut Väinämöinen igne se comprehensum putaret, mox vero movens sese ova in aquam de-  
volveret. Ex comminutis horum testis & particulis, fracta e-  
uim in lapsu sunt, diversæ mundi partes jam oriri, coeli qui-  
dem ambitus ex superiore testæ parte, terra vero ex inferiore,  
albumen splendescens in solem mutari, luteum rubescens lu-  
na evadere, aliæque particulæ in stellas verti & per cœlum dis-  
spergi *u*).

In fabula alia coortum inter Väinämöinem fratremque *e*-  
jus Joukkavainem certamen describente, ille loquens inducitur  
verba creationem mundi, qua partem certe, ei vindicantia, quæ,  
quoniam ambigua sunt, non alienum duximus, apposita ver-  
sione hic inserere, subjunctis quoque ceteris interpretamentis,  
quo & lectori copia sic fiat judicandi, quantum ex iis ad mun-  
di incunabula sit referendum. Perhibet igitur isthæc fabu-  
la *v*) obviam utrinque senem Väinämöinem & juvenem Jouk-  
kavainem ita factos esse, ut temones jugaque equorum inter se  
implicata cursum sisterent, dicentique tum seni Väinämöini:  
"viam is nostrum teneat, qui plura noverit, cui vero minor  
sit rerum notitia, is de via decedat," hunc jaſtanter respon-  
disse se quoque paullulum scire, temporis nempe, quo in *Pisa*

B 2

atque

*t*) Top. I. 25.

*u*) Alibi traditur pisces & phocas ortos esse ex ovo æro hirundi-  
nis, quod e nido hujus sub navigii stega constructo in mare de-  
volutum esset (*v. Schröter I. c. p. 46*). Præterea variam varia-  
rum animatarum inanimatarumque rerum genesin afferunt ceteræ *e*-  
jus generis runæ, quæ *Synnyt* i. e. origines inscribuntur,

*v*) Lencq. I. c. p. 34; Gan. p. 34; Top. I. 21. sqq.

atque *Horna* montibus arbores proceræ stabant, meminisse, & mox, cum id infantis mulieris non vero herois barbati memoriam scientiamque Väinämöinen nominasset, alterum prius dictis addidisse, meminisse se temporis, quando maria arata, agrorum portiones transnavigatæ, aëris postes adfixi, colles coacervati, lapides in struem congesti fuerint (cfr. not. f). Ad hæc vero jam Väinämöinem reddidisse:

*Minun on meret Kyntämäni*, A me sunt maria arata, sarkajaot sauwomani x), agrorum portiones navigio superatæ,

ilmapieler pistämäni, aëris postes adfixi,  
mæt myllermöttemäni, colles coacervati,  
Eiwer luomani kokohon y). lapides collecti in congeriem.

Secundum aliam ejusdem certaminis narrationem ad verba Joukkavainis a Väinämöine responsum esse dicitur,

*Minun on folket kuokkmani*, A me sunt valles effossæ,  
Kalahauat kaiwamani, piscium foveæ erutæ,  
ilman pielet pistämäni, aëris postes adfixi,  
raiwoni tähyyttämäni, coela mea stellis conspersa z).

Pater

x) *Sauwoa* conto navigium seu scapham subigere significat, quod in itineribus fluvialibus usitatissimum est, in primis in Septentrionali Finlandia; videtur igitur hic respici tempus, quo diversis mundi partibus nondum ordinatis, loca, quæ nunc sicca sunt, inundata fuerint; arida vero alia, quæ nunc a maribus occupantur. Explicat Lencquist hæc verba "a me sunt maria emollita (quasi ager aratro emolitur, b. e. primum liquida facta), a me sunt jugera mensurata."

y) Possunt tamen hæc verba etiam sequenti ratione explicari: a me sunt maria transnavigata, agrorum portiones perticis distinæ, plagæ mundi (väderstrecken) determinatæ, colles perfossi, lapidum cumuli congesti, adeo ut nec mundi creationem nec aliud quidquam humanas exsuperans vires respiciant.

z) Ceterum hæc ipsum certamen respicientia fabula adjicit: interregasse offensum jam senem Väinämöinem a Joukkavaine, quid sibi daret, ut esset in gratiam redditurus; hunc vero primum prom

Patet igitur ultimum ex his versibus aperte mundi creationem loqui, & quamvis præcedentes versus etiam ita possint interpretari (vid. not. y), ut eam non spelegend, tamen illa explicatio, qua ad ipsam referuntur, probabilior nobis videtur, partim quia majori se commendat simplicitate, partim quod cum ultimo versu melius congruit. Suspicatus quidem est Lencquist versus in §:o huic præcedenti jam allatos, quibus Väinämöinen totius mundi fabricator operculique aërei excusor laudatur a recentioribus esse poëtis fictos, sed caussas tamen attulit nullas suspicionis suæ inde forsan oriundæ, quod ei plenius cognita non essent cetera runarum loca, quæ etiam, ut putamus, non obscure produnt priscos nostrates mundi fabricationem si non totam at qua certe magnam partem Väinämöeni attribuisse.

§. 5.

Nulla autem re celebratior est Väinämöinen, quam arte musicam tractandi, cui & in primis videtur debuisse immortalitatem suam divinosque post fata honores. Antequam vero laudes, quas hac arte adeptus est, attingimus, pauca præmitendum videtur de origine ipsius instrumenti, quo cecinit, cujusque non solum fabricator, sed secundum plurimorum opinionem inventor quoque fuit.

Dicitur in nonnullis traditonibus instrumentum seu nabilem hocce, nostratisbus *fantele* raro harppū nominatum, ax lucii

---

sisse unicum suum equum admissarium, eumque valde egregium &, reniente sene, mox cassidem auro, piteum argento replete, at tandem, etiam his parvi habitis minanteque Väinämöine usque ad humeros incantatione adversarium suum in terram demersum iri, orantem, ut revocaret sacra sua verba, sororem unicam illi spondisse. Quo pretio senem jam mitigatum verba sua sacra ineffucacia reddisse, Joukkavainem vero lacrymas effudentem domum reversum esse. At matrem ei occurrentem, cum caussam cur flet, cognovisset, summo gudio raptam manus complosisse dixisseque: "quoad vixi, generum mihi Väinämöinem adsciscere cupivi, magnum illum virum cantatoremque mihi redere affinem.

cii piscis (alicubi etiam ex anatis) ossibus a Väinämöine factum esse, qualis autem structuræ aut formæ id fuerit, tanto minus determinare allaborabimus, cum nec a poëta accuratius descriptum sit, cumque ipsa jam materia, e qua fabricata fuit; nos a tam arduo conamine absterreat *aa*). Alterum vero nablii genus, quod etiam kantele vocatur & nostratisbus adhuc usurpatō nablio forte non fuit absimile, ex durissimo betulæ generē ventruosum fabricavit, clavos epitoniales ex ramulis quernis lèvissimis adaptans chordasque ex setis equinis, secundum alios etiam ex capillis virginis a familia Dei Hiisi oriundæ *bb*).

Recens sic fabricata instrumenta Deus narratur *aa*) provocatis maribus & feminis tractanda obtulisse, multum vero semper abfuisse, quominus gaudium oriretur harmoniceque nervi sonarent *cc*). At ipse Väinämöinen cum instrumentum genibus impositum tractare cœpisset, tunc primum gaudium exoriri atque nasci harmonia. Movere se raptim omnia, cursum festinare animalia silvarum, aves advolare velociter piscesque subito adnare ad cantum instrumenti audiendum; ipsa etiam maris domina in saxum, quod forte animadvertisit in arundineto, ventre sese sublevare attenteque auscultare, ursus sæpiamento innitus aures arrigere. Immo & senex ipse ita commoveri, ut lacrymæ grandissimæ ex oculis manantes super probum ejus pectus genuaque usque ad imos pedes defluerent. Memoratur aliis in traditionibus *dd*), Väinämöine kantele suum tractante, silvarum quoque dominam cœtum auxisse auscultantium, omnesque & viros & feminas ad lacrimas fuisse motos: alia vero occasione *ee*) eum nablii sui sono incolas Pohjolæ

*aa*) Cfr. Top. I. 32. sq.; III. 26.

*bb*) Cfr. Ganand. I. c. p. 102 & Schröter I. c. p. 55.; hodiernam hujus instrumenti constructuram exposuerunt Porthan de Poësi fennica p. 78. sq.; Rühs I. c.

*cc*) Lencq. I. c. p. 36. sq.; Gan. I. c. p. 102, 104. sq.; Top. III. 26. sq.

*dd*) Top. I. 33; Turun Wilkko-Sanomat a. c. N:o II.

*ee*) Top. II. 16. sq.

iolæ somno sopiisse, & porro canente eodem fornices cœli fuisse ruptas, arbores altissimas quassatas, montes æneos agitatos, lapides in litore fissos, columnas aëris diffractas saxaque ejulatum edidisse *ff.*).

Effe&tum hunc, quem exseruit cantus Väinämöini, altitudini vocis ejus, quam Deo dignam sistere voluit audax vates, in primis tribuimus eo etiam ex capite, quod adhuc in quotidianis sermonibus Savonum vox Väinämöini idem ac vox stentorea significat. Sed cum alibi *gg*) dicant eum canendo navigium & fabricasse & in mare deduxisse & remiges sibi comparasse, minantemque cantando juvenem Joukkavainem usque ad humeros in terram a se demersum iri, clamando & sibilando denique ventum sibi parasse secundum (v. §. 7.), vindentur Fenni nostri eandem vim omnipotentem voci & verbis Väinämöini tribuisse, qua fuerit τὸ FIAT Creatoris, de qua in Genesi legitur.

Quamvis vero unde sumserit Ganander, quæ cetera hic pertinentia affert (l. c. p. 103. sq.), invenire non potuimus, cum fontes non indicaverit; fide tamen ejus qualicunque adhuc addere liceat de musica Väinämöini, divinum huncce vatem, qui a potente sapienteque Kaveh canendi artem didicisset, laudes herorum prisorum, mundi creationem, ignis originem, rerum occultam naturam, sortem denique mortalium miserandam & vanam cecinusse; durissima quoque peccata miseratione implevisse, tristissimos quoque animos exhilarasse, immo maris numina saltatum super aquæ fundo prolecta fuisse, sedente in litore Väinämöine chordasque pulsante.

### §. 6.

Laudatum Deum ad amores quoque fuisse propensum ex supra dictis (v. §. 4.) apparet, ubi irratus Joukkavaini, post haec

*ff)* Lencq. l. c. p. 35; Gan. l. c. p. 24; Turun Wilko-Sanomat a. c. N:o 11, cantu eum prædam quoque prolectasse ad venatores, piscautores atque aucupes infra (in §. 8.) memorabitur.

*gg)* Top. I. 27, 29, 23; Turun W. S. a. c. N. 20.

*hh)* Conf. von Schröteri, proœmium ad runas a se editas p. X.

habitibus placaminibus pretiosissimis, non nisi in sorore sponsa acquievit. Neque tantum vacasse eum amori, sed & aliquando molestissimis susceptis laboribus gratiam puellæ cujusdam demereri conatum esse ex sequenti narratione cognoscimus ii). Flagraba Väinämöinen amore virginis Tuulikki, filia Tapionis. Quam visitans super arcu cœlesti sedentem interrogasse dicitur, an esset sibi nuptura? "Conjicerem te, superba respondit virgo, virum esse, si cultro mucronem non habente setam equinam in longitudinem diffinderes nodumque in ovum gallinæ necleres, quem nemo posset sentire. Peradis vero his laboribus ne tunc quidem virgo permota prius se ei nupturam negavit, quam navigium ex fragmentis rhombi & fusi sui ædificasset, ita vero id faceret, ut securis nullum lapidem tangeret. Hoc quoque in se suscipientis & jam opus tractantis Väinämöini seciris nullum quidem lapidem tangit, sed, proh dolor! ipsum genu lacerat. Profluens ex vulnere sanguis totum inundat campum. Recipiens se tunc Deus multo labore in traham & equo in pagum frigidum vestus ex limine interrogat, esetne in domu, qui sanguinis profluvium reprimeret. Cum vero puerulus juxta focum sedens respondisset esse neminem & ultra monuisse, ut peteret alius cujusdam domum, jam in hanc cituis discessit, quo idem atque in illa interroganti senex prope mensam sedens reddit: "majores quoque fluvii sedati sunt & amnes rapidiores domiti" kk). Vulnus itaque Dei hic satum

---

ii) Top. I. 18. sq.

kk) Videantur etiam *Turun Wiikko-Sanomat* a. c. N. II, quo loco, ubi sponsæ nomen Katrina, res vero iisdem fere verbis atque ap. Top. narrata occurrit, additur; præcepisse hunc senem filio suo ut in fabricam abiens ex herbis aliunde petitis remedia pararet; paratis vero his reversoque domum filio, Väinämöinem primum, superimpositis medicaminibus, animi defectum passum esse, dein vero recreatum, conversso in cœlum vultu gratias tribus divinitatis personis egisse; ita ut aperte videatur locum hunc narrationis a recentioribus profectum esse.